

1563 29 Novbr.

413  
E. Epist. Sig. Aug. impr. Lipsiae

Ad Archiepiscopum Magdeburgensem.

Ejusdem argumenti.

141

Reverendissime in Christo Pater, ac Illustris Princeps, Domine Nepos noster charissime. Pertristes &c ut supra usque ad; in animum posuimus. Quamobrem etiam aliorum quoque, Principum auxilio, ad sublevandam hanc fortunam necessariorum nostrorum non defitiamur, tamen quod ea res Illustritatem quoque Vestram magnopere attingat, faciendum nobis existimamus, ut eam ad Illustritatem Vestram deferremus, ab eaque peteremus, ut pro ea necessitudine, quae nobis et Illustri Dominae Sorori nostrae, Finlandiae Duci, cum Illustritate Vestra intercedit, hoc tam acerbo casu condolet, causamque Sororis et ipsius etiam, si vivit, Affinis nostri, quantum maxime potest, adjuvet, ne Suecorum Rex ad veteres injurias hanc etiam nobis apponat novam, ut sicut antea pedem in possessiones nostras contra omne jus inferebat, ita nunc propinquis ipsis, affinibusque nostris manus violentas adferre videatur. Nihilquid autem de his rebus Illustritas Vestra habuerit explorati, ad nos perscribat; nobis enim in his bellis tumultibus, quibus involuti sumus, nihil plane ex Finlandia adferri potest, quod certum prorsus exploratumque habeamus. Pluribus verbis ne utamur, facit tunc necessitudo ipsa nostra cum Illustritate Vestra, cui magnopere confidimus, tum res ipsa, quae novam nimis longam ferre non potest. Officium hoc et Illustritati Vestrae amplissimum, et nobis futurum gratissimum. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus.

